SCRIPTUM

DOM. PROTECTORIS

Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c.

Ex conſenſu atque ſententiâ

CONCILII SUI

EDITUM;

In quo hujus Reipublicæ Cauſa contra

HISPANOS

juſta eſſe demonſtratur.



LONDINI:

Excudebant *Henricus Hills* & *Iohannes Field,*
Impreſſores Dom. Protectori. 1655.

SCRIPTUM

DOM. PROTECTORIS

Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c.

Ex consensu atque sententia

CONCILII SUI

EDITUM;

In quo hujus Reipublicæ Causa contra

HISPANOS

justa esse demonstratur.

LONDINI:

Excudebant *Henricus Hills* & *Johannes Field*,

Impressores Dom. Protectori 1655.

Scriptum Dom. Protectoris Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c. ex consensu atque sententia Concilii Sui editum; in quo hujus Reipublicæ Causa contra Hispanos, justa esse demonstratur.



Uibus causis adducti, quasdam insulas in occidentali *India*, ab Hispanis jam antea occupatas, adorti nuper simus, eas & justas esse & rationi quam maximè consentaneas nemo est quin facile intelligat, qui modò secum reputaverit, quemadmodum Rex ille, ejúsque subditi erga gentem Anglicanam in illo tractu Americano semper se gesserint; non alium nempe ad modum nisi perpetuò planè hostilem; qui modus sese gerendi ab ipsis & initium habuit injustissimum, & ab eo tempore contra gentium commune jus, contra fœderum peculiares inter Anglos atque Hispa-

 nos

nos leges eâdem eſt prorsùs ratione continuatus.

Fatendum quidem eſt Anglos, his annis proximis, vel iniqua æquo animo ferè pertuliſſe, vel ſe duntaxat defendiſſe; unde forſitan poteſt fieri, ut nonnulli de illa nuper in occidentalem Indiam noſtræ claſsis profectione ita ſentiant, quaſi de bello à nobis ultrò incæpto atque illato, non quaſi de eo, quod re quidem verâ ab Hiſpanis ipſis & primò ortum atque conflatum, & (quanquam hæc Reſpublica, quod in ſe erat, confirmandæ Pacis, & Commercii iis in locis habendi causâ nihil prætermiſit) ab iiſdem hactenus continuatum ſummoque ſtudio geſtum reperietur: Qui quoties oblata ſibi occaſio eſt, nullam omnino juſtam ob cauſam, nullâ injuriâ laceſſiti, occidere, trucidare, imò ſedatis nonnunquam animis obtruncare noſtros illic homines quos viſum eſt, bonis etiam atque fortunis direptis, Coloniis habitationibuſque deletis, navibus, ſi quas per illa maria offendunt, captis, hoſtium imò prædonum in numero habere non deſinunt. Illius enim

enim nominis opprobrio omnes cujuſcunque gentis, præter ſe ſolos, afficiunt, qui illa maria navigare audeant. Neque hoc alio jure aut meliore ſe facere intelligunt, quam Papæ neſcio quâ donatione nixi, & quod partes quaſdam illius occidentalis plagæ ipſi primi omnium ſcrutati ſunt: quo nomine ac titulo novi illius orbis jus omne, ac ditionem univerſam ad ſe ſolos pertinere contendunt: de quo titulo ſanè quàm abſurdo copioſiùs dicendi locus erit, cùm ad expendendas eas cauſas veniemus, cur Hiſpani exercere omne genus hoſtilitatis in noſtros illic homines uſque eo licere ſibi arbitrentur, ut qui illas in oras aut tempeſtate appulſi, aut naufragio ejecti, alióve ſimili caſu delati ſunt, eos non ut captivos ad vincula ſolùm, ſed in ſervitutem etiam redigant, ipſi tamen ruptam ſibi Pacem etiam in Europa, & graviſsimè violatam exiſtiment, ſi Angli viciſsim, paria reddendi, reſque ſuas repetendi causâ, quicquam iis in locis contra eos moliuntur.

Verum, etiamſi Hiſpaniæ regis apud nos

le-

legati, Hiſpanicâ factione, quæ ſemper in Concilio Regis proximi, Patriſque ejus plurimum potuit, confiſi, ſiquid Angli hoc in genere feciſſent, leviſsimis de cauſis querimonias & poſtulationes iniquas & ridiculas afferre non dubitarint; Illi tamen Reges, Hiſpanis licet nimium addicti, ſuorum ſubditorum conſtringi noluerunt manus, ubi Hiſpani ſuas eſſe ſolvendas exiſtimarunt: imò vim vi propulſare, & Hiſpanos, qui ad Pacem iis in locis ſervandam perduci nullo modo potuerunt, in hoſtium numero habere ſuis permiſerunt. Adeo ut anno circiter milleſimo ſexcenteſimo & quadrageſimo cum hæc res in Concilio regis proximi agitata eſſet, poſtularetque Hiſpanorum legatus ut naves quædam in Americam profecturæ, & in oſtio fluminis vela jam facere paratæ prohiberentur, propterea quòd hoſtilitatis in Hiſpanos illic exercendæ poteſtate eſſent inſtructæ, ſimulque ipſe jus commercii in occidentali India habendi poſtulantibus per Conſiliarios quoſdam regis, ad eam rem conſtitutos, Anglis denegaret,
pla-

placuit ut illæ naves institutum iter suum persequerentur, quod & factum est.

Hactenus prædicti Reges subditis suis, bellum iis in locis ob rationes suas privatim suscipientibus, non defuerunt: tametsi, propter potentiam Hispanicæ factionis supradictæ, publicè, pro eo ac debuerant, & existimatione gentis pristinâ dignum erat, causam eorum suscipere noluerunt. Et nobis certè contumeliosum æquè & indignum fuisset, quibus, largiente Deo, tot naves ad omnem maritimi belli usum ornatæ atque instructæ in promptu erant, si eas carie potius corrumpi otiosas domi voluissemus, quam ad ulciscendum Anglorum, quidni etiam dicam, Indorum sanguinem, ab Hispanis tam injustè tam inhumanè totiésque fusum, illis in locis usui esse. Quandoquidem *Deus fecit ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis præstitutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* Et certè Deus, quocunque id tempore, cujuscunque id manu administrandum sit, tanti sanguinis innocentissimi, tantarum

cædium, quibus tot millia Indorum ab Hiſpanis tam barbarè occiſa ſunt, tantarum denique injuriarum, quibus illæ gentes miſerè ſunt ab iiſdem vexatæ atque oppreſſæ, certiſsimas aliquando pœnas repetiturus eſt.

Verum ad communem hominum inter ſe neceſsitudinem, quæ fraterna ſanè eſt, quæque facit ut graviſsimæ & atrociſsimæ quorumvis mortalium injuriæ ad reliquos omnes pertinere quodammodò videantur, neceſſe non eſt ut recurramus: cum ipſorum hominum noſtrorum factæ cædes ac ſpoliationes ſatis cauſæ quamobrem a nobis illa nuper expeditio ſuſcepta ſit, ſatiſque juſtam vindicandi materiam dederint: ut nequid præterea noſtrarum inpræſentia rationum, ut ne in futurum etiam noſtram ipſam ſociorúmque incolumitatem, eorum præſertim qui orthodoxam Religionem colunt, conſideremus; ut alias denique cauſas, quæ illam nobis expeditionem ſuaſerunt, quaſque nunc ſigillatim enumerare conſilium non eſt, omittamus: cum non cauſæ ſingulæ ſed ipſius rei jus atque

atque æquitas declaranda nobis proponatur. Quod ut clarius faciamus, & generatim dicta particulatim explicemus, ad præterita referre oculos paulisper oportebit: quæq; inter Anglos atque Hispanos transacta sint, quo statu res eorum utrinque, ad se mutuò quod attinet, fuerint, ex quo & perlustrata primò occidentalis Indiæ ora, & reformata Religio est, strictim percurrere. Quæ duæ res maximæ, cùm eodem ferè tempore accidissent, permagnas ubique conversiones orbis terrarum rebus attulere; ad Anglos præsertim & Hispanos quod spectat, qui diversam ab eo tempore & penè contrariam res suas agendi rationem secuti sunt. Tametsi enim Rex proximus, ejusq; Pater, adversis fermè totius populi Anglicani studiis atque sententiis, duo fœdera cum Hispanis quoquo modo sarserunt, diversi tamen illi utrorumque sensus ac studia ex diversâ religione nata, perpetuæque in occidentali India controversiæ, & Hispanorum simul, dum suis illic thesauris metuunt, suspiciones de Anglis ab initio conceptæ, cum hujus Reipublicæ

 conatus

conatus in assequendâ æquis atque honestis conditionibus Pace inutiles nuper reddidere, tum præcipuas re verâ causas *Philippo secundo* præbuere, ut, regnante *Elizabetha*, antiquum illud diúque inviolatum fœdus, quod huic genti cum majoribus ejus, tam Burgundici quam Castellani generis intercesserat, rumperet, & illato illi Reginæ bello, nationem hanc totam subigendam sibi proponeret, idque ipsum anno supra millesimum quingentesimo octuagesimóque octavo (dum interea de Pace stabilienda agebatur) omni impetu aggrederetur: quod quidem in Anglorum animis necesse est adhuc altè residere, neque inde posse facilè evelli. Et quanquam postea pax quædam & commercium in Europa fuit (quamvis ejusmodi nunquam ut Anglorum quisquam suam profiteri Religionem in Hispanicâ ditione, aut Sacra Biblia habere domi, ne in navi quidem ausus fuerit) in occidentali tamen India Hispanus nunquam ex eo tempore, aut pacem esse aut commercium est passus; etiamsi in illo fœdere *Henrici octavi* Regis

Angliæ

Angliæ, cum *Carolo quinto* Imperatore anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo de utraque illa re disertis verbis convenisset; in quo fœdere nominatim pax atque liberum commercium inter utrósque & utrorúmque populos per omnem alterutrius ditionem, portus, & territoria quæcunque sancitum est, sine ulla occidentalis Indiæ exceptione, quamvis illam tunc temporis Imperator ille obtineret.

Quod autem ad Articulum Pacis per universum terrarum orbem colendæ, is quidem articulus in omnibus Pacis fœderibus, quæ inter utramque gentem unquam extitere, dilucidè continetur; neque ulla de commercio ullo in fædere exceptio habetur ante illud anni millesimi sexcentesimi quarti, cum quo fœdus illud postremum anni millesimi sexcentesimi trigesimi hac de re per omnia consentit. In quibus duobus proximis fœderibus, per omnes atq; singulos utriusq; imperii fines commercium convénit, *Quibus in locis ante bellum* inter Philippum secundum Hispaniæ

Regem,

Regem, & Elizabetham Angliæ Reginam *fuit commercium juxta & secundum usum & observantiam antiquorum fœderum & tractatuum ante* id tempus initorum.

Hæc ipsa fœderum verba sunt; quæ rem dubiam relinquunt, atque ita Rex Jacobus pacem cum Hispanis quoquo modo conficere satis habuit, cum eandem de pace tractationem resumeret, quæ paulò antè mortem Elizabethæ inchoata fuerat; in qua etiam tractatione suis illa deputatis inter cætera mandaverat, ut de commercio libero in occidentali India habendo instantèr agerent.

Verum Rex Jacobus (qui pacis cum Hispanis faciendæ admodùm erat cupidus) ita istam clausulam relinquere contentus erat, ut utrique parti eam suo modo interpretandi facultas esset; quanquam si illa verba U*sus & observantia antiquorum fœderum, & tractatuum*, sic intelligenda sunt (ut par est) juxta & secundum id quod jure fieri debuit, non juxta & secundum quod ex parte Hispanorum ad manifestissimam eorum violationem factum est, quæ Anglis que-

querimoniarum, utrisque dissidiorum materia perpetua erat, ex ipsis antiquorum fœderum disertis verbis clarissimum est, per omnem Hispanorum ditionem, quæcunque illa esset, tam commercii quam pacis jus Anglis fuisse.

Cæterùm si antiqua fœdera & pactiones servandi ratio ab eorum manifestâ violatione petenda est, habent Hispani obtentum aliquem sic intepretandi illam in postremis fœderibus clausulam, quasi commercium illis in locis exciperet. Et tamen ad dimidiam usque illius temporis partem quod inter supradictum fœdus 1542, & initium belli a Philippo secundo contra Elizabetham suscepti intercessit, quantum ipsis ex rebus gestis intelligi potest, haud minus permitti illis in locis quam prohiberi commercium apparet. At posteaquam Hispani commercium omnino recusarunt, à permutandis mercibus ad alternandos ictus ac vulnera deventum est, tam ante bellum inter Philippum & Elizabetham ortum, quam post pacem ab Jacobo Rege anno 1604 factam; alteramque

que ab ejus filio anno 1630, ita tamen ut hinc commercium per Europam non interpellaretur; tametsi nunc primum Hispaniæ Rex, post hanc nuper nostrarum rerum retentionem, eorum locorum controversias ad hæc etiam Europæ loca propagandas interpretatus est.

Verùm neque in fœderum interpretatione, neque in jure commercii ex illis fœderibus, aliave ratione habendi insistimus; quasi in iis fundamenta hujus dissidii jacienda necessariò sint, cum id clarissimis atq; evidentissimis rationibus nitatur, quod statim planum faciemus. Sunt tamen ejusmodi nonnulla, quæ, etsi bellum iis fundari non ita necesse est, possunt, neque injuria, impedimenta esse sanciendæ pacis, aut instaurandi saltem fœderis, in quo ea non conceduntur, vel quæ in prioribus pactis concessa sunt, vel non immeritò expectari queunt. Quod etiam pro responso esse potest ad id quod quæritur, quare, quandoquidem antiqua fœdera cum aliis omnibus populis redintegravimus, idem cum Hispaniæ Rege non fecimus; neque

con-

continuò nos in conditionibus fœderis dextrum ejus oculum, multóque minùs ambos (quod objicitur) ejus oculos postulasse, si crudelissimæ Inquisitioni obnoxii esse, ubi commercium permissum est, noluimus, dandúmque nobis commercium institimus, unde, neque per antiqua fœdera, neque communi jure excludendi sumus. Tametsi enim Rex Hispaniæ id sumpsit sibi ut nobis commercii leges finésque præscriberet, Romani pontificis lege quâdam fretus, quâ is omne commercium cum Turcis, Judæis, aliísque infidelibus vetat,* eoque nomine etiam pacis tempore naves ejus bellicæ aliis etiam in locis præterquam in India occidentali nostras naves ceperunt & expilarunt, & quanquam simili Papæ authoritate ejusque donationis titulo jus in Indos sibi vendicat, perinde quasi sibi jure essent subjecti, etiam illi, qui neque

* *Gulielmus Stephanus Bristolensis*, aliique Mercatores aliquot *Londinenses* anno 1606, & 1607, cum per oram Mauritaniæ tribus cum navibus commercium cum illis populis haberent, Hispaniæ Regis naves, quæ per illa litora prædabantur, eas nactæ in *Saphio* & *Sanctæ Crucis* statione, dum in anchoris ibi stabant, diripuerunt; hac solâ ratione redditâ, *Nolle Regem Dominum suum cum Infidelibus commercium permittere*: quorum damna amplius duobus millib. librarum æstimata sunt.

in poteſtate neque in fide ejus ſunt, nos tamen authoritatem ejuſmodi nullam neque in Papa, neque in Hiſpaniæ Rege agnoſcimus, ut poſsit vel Indis jus libertatis ſuæ, vel nobis conceſſum naturæ gentiumque legibus jus verſandi cum illis, & commercium habendi adimere, cum iis præſertim, ut ſupradiximus, qui in poteſtate ac ditione Regis Hiſpaniæ non ſunt.

Alterum impedimentum renovandi fœderis cum Hiſpanis manifeſtum eſt atque inſigne, nec non ejuſmodi, ut Legatis ac Miniſtris publicis in Hiſpanicam ditionem vel de amicitiâ vel de alio quovis inter utramque Rempublicam negotio miſsis, fiduciam omnem incolumitatis præcidat, ubi Rex opinionibus ejuſmodi obſtrictus eſt, ut per eas Legatis & Miniſtris publicis, ne in ſummo vitæ periculo verſentur, incolumitatem a ſicariis præſtare non poſsit: quorum jus, ut principum Rerumque publicarum uſus inter ſe, & amicitia conſervetur, gentium jure ſemper inviolabile eſt exiſtimatum, iiſque aſylis multo ſanctius, quorum privilegia (authoritate Pontificis

ficis & Romanæ Ecclesiæ fundata) adhibita hactenus fuere ad eludendam vim legum atque justitiæ, quam exequendam subinde poposcimus in interfectores Dom. *Antonii Aschami*, qui idcirco missus ab hac Republica in Hispaniam fuit, ut usum & amicitiam inter utramque gentem procuraret ac stabiliret. Cujus barbaræ cædis nulla satisfactio, nullum supplicium neque sumptum est, neque impetrari unquam potuit, quamvis a * Parlamento postularetur ejusque nomine a Concilio statús vehementer ac sæpius esset flagitatum. Quod quidem fœderis inter utramque gentem

* Hoc constat ex literis Parlamenti, Prolocutoris manu obsignatis, ad Hispaniæ Regem mense *Januario* 1 6 5 0, his verbis, *Majestatem tamen vestram rogatam volumus insistimusque, uti Justitiæ publicæ tandem satisfiat super cæde* Antonii Ascham *Residentis nostri flagitiosa, eo magis quod post istius modi facinoris auctores merito supplicio affectos, in aulam vestram Regiam Oratorem nostrum non dubitabimus delegare, ea expositurum quæ non minus Majestati vestræ poterunt inservire quam rei nostræ publicæ. Ex adverso, si nos sanguinem illum tot circumstantiis insignitum inultum pateremur, coram Deo unico liberatore perennique misericordiarum nostrarum fonte, & coram natione Anglicana participes nos fore criminis necesse est; Præcipue, si alium adhuc Anglum in illud velimus regnum mittere, ubi fas est impune trucidari. Nos vero tanti æstimamus Majestatem vestram, ut non facile simus credituri potentiam vestram Regiam in ditionibus ipsi subjectis alienæ cuipiam potentiæ subjectam esse.*

renovandi continuatum hactenus impedimentum atq; justissimum fuit, immò verò (pro eo quod ab aliis nationibus factitatum est) justa belli causa censeri potuit.

Quod autem ad controversias in occidentali India exortas, cum tam in ipsa continente quam in insulis Coloniæ nobis quoque sint Americanæ, easque jure non deteriore, immo meliore possideamus quam Hispani suarum ullas obtineant, parique jure ea maria navigare nobis liberum sit, sine ulla tamen causâ, nullâque prorsus injuriâ læsi (idque ubi de commercio controversia nulla versata est) tamen perpetuò Colonias nostras hostiliter invaserunt, nostros homines interfecerunt, naves ceperunt, bona diripuerunt, ædificia sationesque vastarunt, nostros populares captivos in servitutem abduxerunt; atque hæc facere non destiterunt ad illud usque tempus in quo hanc nuper expeditionem contra eos suscepimus.

Ob quam causam, contra quàm antehac in hujusmodi occasione fieri consuevit, ubique ferè ditionis Hispanicæ naves nostras

ſtras negotiatoreſque omnes retinuerunt, eorumque bona proſcripſerunt ; adeo ut, ſive ad Americam, ſive ad Europam oculos convertamus, belli authores ipſi ſoli exiſtimandi ſunt, quæque ex eo cædes atque incommoda ſequi poterunt iis omnibus cauſam ipſi præbuiſſe.

Exempla perpetuæ crudeliſsimæque hoſtilitatis in occidentali India, etiam pacis tempore ab Hiſpanis in Anglos edita, & ab anno 1604, cum ab Jacobo Rege coagmentata pax eſt, uſque dum rurſus bellum erupit, & ab ea pace quæ anno 1630, proximè facta eſt, ad hanc uſque diem permulta ſunt perque inhumana & cruenta : * pauca attuliſſe ſatis habebimus.

* Navis quædam *Ulyſſis* nomine inſignita, cum per orā *Guianæ* Mercaturam faceret, & mercatores ac nautæ, adducti fide ac jurejurando Berrei illius loci præfecti, in terram exiſſent, eorum tamen triginta capti & in cuſtodiam traditi ſunt : Scribit deinde ad mercatorem præfectus ſe quidem triginta ex ſuis nautis cepiſſe, ideo quod nonnulli exteri, qui mercandi causâ illuc appulerant, viginti millibus ducatis ipſum fraudaverant ; quos nummos ſi ſibi miſiſſet, remiſſurum ſe ei omnes ſuos juravit, & commercii poteſtatem facturum. Mercator partim numeratò, partim mercium æſtimatione optatam ei ſummam mittit : quam cum præfectus Berreus accepiſſet, alligatos ad arbores illos homines triginta ſtrangulari juſſit, excepto ſolo Chirurgo qui ad ſanandum præfecti morbum aſſervatus eſt. Hæc redemptio aliis cum damnis ibi datis ſeptem millibus librarum æſtimata eſt.

Poſt

Post factam pacem anno 1605, Navis Maria dicta, *Ambrosio Birch* magistro, ad septentrionalem Hispaniolæ oram in occidentali India mercaturas faciebat; magister, cum a Sacerdote quodam patre Joanne, sic enim nominabatur, cum sex sociis, tuti & liberi commercii promissis allectus esset ut in terram videndarum mercium quarundam causâ egrederetur, & Hispani duodecim ad Anglicanas merces inspiciendas in navem ascenderent, dum Angli suas merces ostendunt nihil doli metuentes, dante signum ab littore Sacerdote, Hispani, eductâ quisque sicâ, omnes in navi Anglos jugularunt, præter duos duntaxat qui in Mare desiluerunt; cæteri in terra exquisitis cruciatibus necati sunt; magister ipse, exutus vestibus & ad arborem alligatus, nudus muscarum morsibus expositus est; ubi post horas viginti Nigrita quidam, audito hominis ejulatu, accedens, jam antè moribundum lanceâ transfixit: Navis hæc cum mercibus quinque millibus & quadringentis libris æstimata est.

Alia navis, cui nomen *Arcuariæ*, eodem anno

anno ad Sanctum Dominicum capta est, nautæque omnes interfecti: hæc navis mille trecentis libris æstimata est.

Alia navis dicta *Amicitia* Londinensis, cum navigio suo a *Lodovico Fajardo*, classis Regiæ Hispaniensis Nauarcho, capta est, navis cum bonis omnibus publicata, mercatores ac nautici in Mare demersi, præter unum puerum, qui ad serviendum est servatus: Hæc navis cum navigio quinquies mille & quingentis libris æstimata est.

Ex alia navi, cui nomen *The Scorn*, cum omnes nautæ, Hispanorum dejerationibus confisi, in terram egressi essent, omnes tamen alligati ad arbores & strangulati sunt. Ubi Mercatores & navem & bona omnia amiserunt, mille quingentis libris æstimata.

Anno 1606 navis, cui nomen *Neptunus*, ad Tortugam ab Hispanorum navibus prædatoriis capta est, quatuor millibus & trecentis libris æstimata.

Ioannes Davis duo navigia cum omnibus bonis amisit, interfectis eorum omnibus nautis, ad illius navigationis interitum, unde trium millium & quingentarum librarum jacturam fecit.

Eodem anno navis alia, quæ *Alauda* nominata

minata est, a Lodovico Fajardo capta, & cum toto onere publicata est; quæ quatuor millibus quingentis & septuaginta libris est æstimata.

Alia navis Mercatorum quorundam *Londinensium*, (cujus magister erat *Ioannes Lock*) a classe Hispanorum ad insulam Tortugam capta est, propterea quod mercaturam fecisset, & arbores cecidisset, ob id navis est publicata, & nauticorum plerique morte multati, reliqui ad triremes damnati: Hic quinque millium & trecentarum librarum jactura facta est.

Navis alia, cui nomen *Castor & Pollux*, ab Hispanis ad Floridam capta est, qui & eam publicârunt nautasq; omnes vel necaverunt, vel in servitute retinuerunt, nihil enim de iis postea est auditum: Hæc navis cum suo onere quindecim mille libris æstimata est.

Anno 1608, navis Plimouthensis Richarda nominata, cujus Præfectus erat *Henricus Challins*, Domini *Pophami* summi Angliæ Justiciarii *Ferdinandi Gorges*, ordinis equestris, aliorumque sumptibus instructa, ut Virginiam peteret, ad australem Canariarum insularum partem vi tempestatûm delata, cum inde cursum ad destinatam oram tenuisset, sub latitudine 27 graduum in undecim naves Hispanicas ab

Sancto

Sancto Dominico redeuntes fortè incidit; quæ ipsam ceperunt, & quanquam præfectus navis diploma regium protulit, quo se expediret, tamen navis cum bonis publica facta est, ipse crudeliter habitus, & ad triremes missus. Unde amplius duo mille & quingentæ libræ sunt amissæ.

Simile quiddam navi alteri, cui nomen *The Ayde*, factum est a Lodovico Fajardo captæ, obtentu amicitiæ; hæc item cum bonis publicata est, omnesque nautæ, ad triremes abducti; ubi nonnulli fustibus, ad necem pulsati sunt, quòd remigium recusassent. Quæ navis & bona, Hispanis ipsis æstimantibus, septem millibus librarum æstimata sunt.

Eodem anno Navis alia, Anna Gallant appellata, magistro *Gulielmo Curry*, cum ad Hispaniolam mercaturas faceret, similiter & navis & bona publica facta sunt, omnesque nautæ suspendio necati, assutis unicuiq; ad ludibrium chartulis, in quibus erat scriptum, *Cur huc venistis?* Hæc navis cum onere octo millibus librarum æstimata est.

Hæc exempla satis ostendunt, cujusmo-

di nobis Pacem Hiſpani in occidentali India temporibus Jacobi ſervarunt; qui Rex diligentiſsimè curavit vel potius pertimuit ne Pax cum iis dirimeretur. Ejuſmodi hoſtilia planè & cruenta veſtigia, ab illa etiam proxima Pace, quæ anno 1630 confecta eſt, ad hanc uſque diem, perſequi licet.

De iis coloniis, quæ, ab hujus nationis nobilibus quibuſdam viris, in inſulam Catelinam (ab his Providentiæ dictam) & in inſulam Tortugam (ab iiſdem Aſſociationis dictam) deductæ ſunt, primum dicemus. Hæ autem anno circiter 1629, cum eſſent incolarum & pecorum omnino vacuæ, indicto inter Anglos & Hiſpanos tunc temporis bello, ab Anglis occupatæ ſunt atque poſſeſſæ. Sequente anno Pace inter utramque gentem factâ, cum de iis inſulis haudquaquam ab Hiſpanis in fœdere exciperetur, Carolus Rex, non impediri ſe hâc Pace arbitratus, ſuo diplomate, quod & magno ſigillo Angliæ ſignatum erat, ſupradictam inſulam Providentiæ, ſimul & alias vicinas ditionis eſſe ſuæ declaravit; eaſque nobilibus quibuſdam viris eorúm-

que

que hæredibus poſsidendas conceſsit; & ſequente anno ad Tortugam uſque inſulam conceſsionem illam extendit.

Et quanquam ſupradicti Coloni, ejuſdem Regis conceſsione in earum inſularum poſſeſsionem venerant, eaque conceſsio jure optimo fundata erat, primum Naturæ, eò quòd neque Hiſpani, neque alii quicunque in eorum locorum poſſeſsione eſſent, deinde Belli, quandoquidem belli tempore occupatæ ſunt, & in Pacis articulis nequaquam exceptæ, unde extingui jus Hiſpanorum (ſi quod illic juris habuiſſent) ipſorum aſſenſu, ex ſecundo proximi fœderis articulo, ſequitur, quanquam etiam neque ſupradicta Colonorum Societas, nec ſuorum quiſquam ullo ſuo facto juſtam offenſionis cauſam vel Hiſpaniæ Regi, vel Hjſpanorum cuiquam præbuerat, donec priores ipſi naves noſtras atque Colonias vi invaſiſſent, & Anglorum haud paucos, incenſis etiam eorum ædificiis ac ſedibus, interfeciſſent, Hiſpani tamen, cum nullam iis in locis pacem ſervare ſtatuiſſent, circa 22 Januarii 1632, nullâ injuriâ laceſsiti, na-

vem quandam ſocietatis, cui nomen Flos Marinus, ab inſula Providentiæ redeuntem, inter Tortugam & Floridæ caput hoſtilitèr aggreſsi ſunt, in qua pugna nonnullos in ea navi occiderunt, alios vulnerârunt.

Poſt hæc anno circiter 1634, Tortuga inſula ab Hiſpanis cum quatuor navibus oppugnata eſt, cum ab Anglis nulla injuria exorta eſſet: in quâ oppugnatione ſexaginta vel amplius occiſi ſunt, multi ſauciati ac capti, ſedes deletæ, domus incenſæ, bona haud parui pretii ab Hiſpanis aſportata, Angli penitus ex ea inſula dejecti, quorum alii ſuſpendio ſublati, alii Havanam abducti in ſervitute miſerrimâ retenti ſunt; unus præ cæteris, cui nomen *Grymes*, qui in Tortuga Bombardarius fuerat, crudeliter eſt trucidatus; pars ad deſertam quandam inſulam confugiens, cui Sanctæ Crucis nomen eſt, ab Hiſpanis, qui eo etiam cum tribus navibus longis fugientes perſequebantur, oppugnata menſe *Martio* 1636, quadraginta occiſi, reliqui capti & crudeliſſimè accepti.

Anno

Anno 1635 *Iulii* 24, Hiſpani duabus navibus magnis unâque longâ advecti in Providentiæ quoque inſulam impetum fecerunt, compluriumque horarum ſpatio prælium ibi commiſerunt; & tum quidem rejecti ſunt, & ab incæpto deſiſtere coacti; donec idem rurſus tentantes circa annum 1640, cum duodecim navibus magnis & minoribus, quarum Prætoriæ Armadillo Carthaginenſi nomen erat, ex majoribus Regiæ claſsis Argentariæ triremibus, cum magnum militum numerum in terram expoſuiſſent, totius inſulæ expugnationem polliciti ſibi ſunt, verùm, haud parvo accepto incommodo, repulſi denuò receſſerunt. Alterâ tamen claſſe inſtructâ paulò poſt cum revertiſſent, Coloni diſsidiis laborantes, non tam quâ ſe ratione defenderent, quam quibus conditionibus commodiſsimè ſe dederent, cogitarunt, quas tradita demum inſulâ, facilè impetraverunt. Sed inſula hoc modo & Colonis erepta eſt, & Reipublicæ, illis octoginta amplius millium librarum damno dato, huic, detrimento & ignomi-

niâ

niâ publicâ ſimul acceptâ. Ita in Hiſpanorum poteſtatem cùm eſſet redacta, navis quædam, quæ vectores aliquot ab nova Anglia in eam inſulam tranſmigrantes advexerat, intra ictum Bombardarum callidè perducta eſt (ignorabat enim eam inſulam in Hiſpanorum poteſtate jam eſſe) nec ſine permagno diſcrimine ac difficultate ſe extricavit, amiſſo etiam navis magiſtro, viro probiſsimo, quem ictùs tormenti ab inſula diſploſi tranſverberavit.

Nec contenti intra fines Americanos hoſtilitati ſuæ in illius Coloniæ ſocios modum ſtatuere Hiſpani, in his etiam partibus Europæ eandem in eos exercuerunt: anno enim 1638 *Decembris* 25, Navis quædam ejuſdem ſocietatis, Providentiæ nomine inſignita, cui *Thomas Newman* Præfectus erat a Promontorio Dengioleucis duabus in ipſa Angliæ ora a Sprengfeldio Dunkirkanæ navis prædatoriæ præfecto oppugnata atque capta eſt; Dunkirkam deinde abducta; ubi navis onera retenta ſunt; (quæ multorum etiam illic æſtimatione triginta millium librarum ſummam con-

conficere existimabantur) Anglorum autem partìm occisi, partìm vulnerati, cæteri postquam in ipsa navi suâ barbarè atque inhumanè essent habiti, Dunkirkam abrepti haud melius accepti sunt, donec rationem aliquam profugendi invenissent. Et quamvis supradicti socii satisfactionem omnibus modis postulassent, Rexque proximus per Residentem suum Dom. *Balthasarum Gerberium*, perque literas tam sua manu, quam a Secretario *Coco* scriptas, eorum nomine reparationem poposcisset, nullam tamen neque bonorum restitutionem, neque ob ea ut compensatio ulla fieret impetrare potuerunt.

Sunt & alia recentioris & acerbioris etiam memoriæ exempla, illud nempe Sanctæ Crucis ab Hispanis a Portorico provectis oppugnatæ anno circiter 1651, insulæ quidem antea non habitatæ; illo autem tempore Colonia Anglorum, duce Nicolao Philips, eam tenuit; qui cum centum circiter Colonis ab Hispanis crudelitèr occisus est; qui etiam naves in portu occupârunt, sedes diripuerunt, vastârunt, &

fun-

funditùs exciderunt. Cumque plures quos occiderent invenire non possent (cum incolarum pars alia in silvas profugisset) Hispani Portoricum reversi iis miseris & fame propemodum confectis reliquiis ad alias vicinas insulas recipiendi sese, illamque Sanctæ Crucis penitus deserendi, spatium dedere. Sed brevi post tempore Hispani ad pervestigandum & quasi venandum eos qui in silvas sese abdiderant, reverterunt: verum illi ex manibus eorum effugiendi, & in alias insulas dilabendi rationem aliquam invenerunt.

Eodem anno 1651, Navis quædam Joannis Turneri, cum esset in portum Cumanagotæ vehementioribus ventis appulsa, ab illius loci præfecto occupata & cum omni onere in fiscum redacta est.

Similitèr etiam factum fuerat eodem in portu navi cuidam *Ioannis Blandi*, cui Præfectus erat *Nicolaus Philippus*.

Similitèr factum est navi & bonis Capitanei Cranlei.

Et anno 1650 Navis quædam *Samuelis Willson*, quæ Barbados insulas petebat, equis onusta, in alto capta & Havanam abducta est;

eſt; navis & bona publicata, nautarum plerique in cuſtodiam traditi, & mancipiorum more in munimentis operas dare coacti.

Similia experti ſunt nautæ cujuſdam navis Barnſtapulenſis, annis abhinc circiter duobus, quæ navis cum propè Hiſpaniolam, dum a Coloniis quibuſdam noſtris in inſulis *Caribiis* reverteret, rimas agere cæpiſſet undámque accipere, nautæ ejus in Scapha ſibi conſulere coacti ad littus evaſerunt, ubi omnes captivi facti, mancipiorum ritu, in munimentis operas dare cogebantur.

His, aliiſque permultis hujuſmodi exemplis, quæ omnia recitare nimis longum eſſet, manifeſtiſsimum eſt Hiſpaniæ Regem eique Subjectos arbitrari ſe nulla Pacis conditione nobis præſtandâ illis in regionibus obligari: cum & omne genus hoſtilitatis in nos exercere, immò graviora hoſtilitate, conſueverint, eaque inhumanitas, quâ illic Anglos tractare ſolent, uſque eò a Pacis legibus

aliena ſit, ut ne belli quidem legibus non internecini convenire videatur. In illo tamen Hiſpaniæ Regis Embargo, quo mercatorum noſtrorum naves ac bona proſcribi ac retineri imperat, in Anglos culpa omnis confertur; quaſi *Fœdifragos* nimirum *& Sacroſanctæ Pacis atque Commercii liberi violatores tam Religioſe* ut ipſe ait *ab ſe ſervati; idque tam inopinata atque profeſſa hoſtilitate feciſſe n s, ut urbem Sancti Dominici in Hiſpaniola inſula oppugnare adoriremur.* Quod ſolùm cauſæ affertur, quamobrem Anglorum bona in Hiſpania proſcribantur, negotiatoreſque retineantur: quanquam & hoc prædicatâ ejus humanitate exaggeratum eſt, *Se noſtras claſſes in* * *Portus ſuos, quoſcunque ingredi aut attingere commodum nobis fuiſſet, amice recepiſſe;*

*At vero Navarchus noſter *Swanleius* in *Sicilia* non ita eſt amicè in Portu *Drepani* acceptus, ubi anno 1653, circa n e.iſem Junium Navis ejus, cui nomen *Henricus Bonaventura*, unà cum Hollandica Navi magna & opulentiſſima, cui nomen *Petro*, quam ceperat, proditione Hiſpanici præfecti, qui ei loco præerat, a ſeptem navibus Hollandicis junioris *Trumpii* ductu, in ipſo portu, non longiùs a munimentis quam ſclopi minoris ictus ferri potuit, oppreſſa eſt; unde mercatores, quorum illa navis fuit, plus ſexaginta tribus millibus librarum amiſerunt.

neque

neque Ministros suos exegisse rigide a nobis illos Pacis articulos inter utramque Coronam sancitos, qui cum amplius sex vel octo navibus bellicis intrare portus utrinque vetant.

Verùm quemadmodùm ipse dum hæc dicit, classes nostras omni commisso ac fœderis violatione illis in portubus absolvit, cùm, siquid ejusmodi, quod objicitur, factum & condonatum sit, id ipsius & Ministrorum suorum permissu ac bonâ veniâ sit factum, & quemadmodùm luce clarius est non eum gratuitò tam facilem fuisse, si, quanta a classibus nostris momenta suis rationibus accesserint, secum cogitet, ita è contrario Rex ille ejusque Ministri, quas ipse commemorat pactiones minimè sanè observârunt; quarum Articulo vigesimo tertio tam disertè cautum est, Si *contingat ut displicentiæ* inter utramque Rempublicam *oriantur, ut subditi hinc inde ita ea de re admoneantur; ut sex menses a tempore monitionis habeant ad transportandas merces suas, nulla interea arrestatione, interruptione, aut damno persona-*

 rum

rum aut mercium suarum faciendis vel dandis. Qua in re Rex ille exiguam sanè pactionum illarum, quas contra nos profert, in illa nuper nostrarum rerum proscriptione rationem habuit. Quod autem in eo edicto declarat, hostilitatem in occidentali India exortam, his in partibus violationem pacis liberique commercii habendam esse, nova, adeóque alia plane interpretatio est, atque hactenùs ab utravis Republica in medium unquam allata est; tametsi hoc declarandi occasiones utrinque non defuere.

Verùm cùm Hispaniæ Rex ipse & verbis & re ipsâ declaraverit pacis articulos intelligi sic debere, efficitur hinc ut tot contra Anglos iis in regionibus hostilitèr factis & ab ipso primum exortis, & ab ipso tempore proximè percussi fœderis, ut supradictum est, huc usque continuatis, ab se primo soluta sacra amicitiæ vincula ipse se coarguisse videatur. Quæ res tam clara per se & manifesta est, ut adversarios nostros certè ipsos puduerit in

hac

hac controverſia factum negare, de jure potius nobiſcum diſceptaturos; quemadmodùm ſcilicet Hiſpaniæ Rex, inter titulos ſuos, *Regis Indiarum* titulum ſibi ſumpſit, ita univerſam Indiam, maréque Indicum tam Boreale quam Auſtrale ſuam eſſe propriam ditionem, hoſtéſque omnes & piratas eſſe qui ejus injuſſu illuc acceſſerint. Quòd ſi ita eſſet, & nos & omnes cæteræ nationes, quicquid iis in locis poſsidemus, ei relinquere ac reddere, &, reductis Coloniis noſtris, injuriæ ſibi factæ veniam petere deberemus. Verum ſi rationem ac veritatem illius tituli altiùs inſpiciamus, tenui admodum atque infirmo eum niti fundamento comperiemus, quo tanta contentionum ac belli moles ſuperſtruenda ſit, quantam hanc veriſimile eſt futuram.

Duplex titulus præfertur, Papam videlicet ea loca donaſſe, ſeque primos omnium perluſtraſſe : ad primum quod attinet, ſcimus Papam in donandis Regnis ac regionibus liberaliſsimum ſemper fuiſſe,

illi

illi interea dissimillimum cujus Vicarium se esse profitetur, qui ne hoc quidem tantulum sibi sumere volebat, ut in dividundis hæreditatibus constitui se judicem pateretur, nedum ut suo arbitrio cuiquam donaret, quemadmodum Angliam, Hiberniam, aliaque Regna Papa largitus est. Verùm nos authoritatem in eo istiusmodi nullam agnoscimus, neque gentem ullam usque adeo mentis inopem existimamus, ut in eo tantam authoritatem inesse credat; vel Hispani ipsi ut credant, aut essent assensuri, si ab iis Papa tantum abjudicasset quantum largitus est. Quod si Galli atque alii, qui authoritatem Papalem in Ecclesiasticis rebus agnoscunt, hunc Hispanorum titulum pro nihilo habent nos ut de eo alitèr sentiamus non est expectandum, adeoque hoc relinquimus, responso ampliore prorsus indignum.

Sed neque alter Titulus majoris est ponderis; quasi verò, si Hispani paucas quasdam Americæ partes primi perscrutati

tati ſunt, inſuliſque aliquot, fluminibus, ac Promontoriis nomina impoſuere, idcircò novi illius orbis dominium jure ſibi acquiſiviſſent. Verùm imaginarius ejuſmodi Titulus tali præſcriptione nixus ſine poſſeſsione jus aliquod verum aut legitimum creare non poteſt. Jus optimum tenendi Americanis in locis quod quiſque habet, eſt Coloniarum deductio, & poſſeſsio vel ubi nulli omnino incolæ fuere, vel, ſicubi fuere, eorum aſſenſu, vel ſaltem in deſertis quibuſdam ſuarum regionum & incultis locis, quibus vel colendis vel habitandis ipſi non ſufficiant; quandoquidem Deus terram hominum uſibus creavit, præcepitque iis ut univerſam implerent.

Hoc ſi verum eſt, quemadmodum Hiſpani iniquiſsimo jure parta illic obtinere invenientur; cum omnia invitis incolis, & quaſi ex ipſis eorum viſceribus ſibi acquiſiverint, quorum ſanguine ſuum imperium illic fundârunt, magnaſque inſulas & regiones totas non reperêre quidem

dem desertas sed reddidere; indigenis omnibus eradicatis, ita Angli, quæ illic habent, jure optimo possederint; easque nominatim insulas in quibus Hispani Colonias eorum oppugnarunt atque deleverunt; quæ aut incolas omnino non habuere, aut si ab Hispanis interfectos, desertæ etiam ab iisdem & sine cultoribus relictæ sunt: adeo ut naturæ gentiúmque jure occupantibus quibusvis eas & possidentibus cedant; juxta illud in legibus notissimum, *Quæ nullius sunt & pro derelictis habentur, cedunt occupanti.* Quanquam si Hispanos expulissemus iis locis in quæ nostras Colonias deduximus, unde ipsi priùs incolas radicitùs exturbaverant, nos tanquam occisionum & injuriarum illius populi ultores meliore jure regiones illas obtinuissemus, quam oppressores ejusdem & interfectores. Cum autem nostræ Coloniæ iis in locis fuerint, ubi neque Indigenæ neque Hispani possessionem ullam tenuerunt, neque habitationes ullas aut pecora post se reliquerant,

quærant, aliámve rem, quæ poſsit ullo modo jus poſseſsionis retinere, tanto evidentius jus noſtrum iis in locis fuit & Hiſpanorum injuriæ nobis illatæ tantò apertiores; iis præſertim in locis quæ indicti utrinque belli tempore occupata ſunt (quo in genere Providentiæ inſula atque Tortugæ fuit) quas ſi Hiſpani ſuas eſſe ullo priore Titulo necdum prolato oſtendere potuiſſent, tamen cum in pacis proximæ tractatione id non fecerint, per ſecundum ejus Articulum talem omnem prætextum ipſi ſibi in poſterum amputârunt, juſque ipſi ſuum, ſi quod erat, extinxerunt.

Hoc argumentum copioſiùs tractare nihil attinet; neque eſt quiſquam rerum peritus quin facilè perſpiciat quàm inanes atque infirmæ ſint iſtæ rationes quibus innixus Hiſpanus, tam immenſi tractûs imperium arrogare ſibi ſoli non dubitat. Verùm id egimus ut obtentuum iſtorum debilitatem paucis aperiremus, quibus Hiſpani quicquid in nos indignè atque atrociter in occidentali India commiſerunt, de-

ſendere conantur; mancipationes, ſuſpendia, demerſiones, cruciatúſque noſtrorum hominum ac neces, navium ac bonorum ſpoliationes, Coloniarum ſumma in Pace depopulationes idque nullâ prorſus injuriâ affecti, ut Anglicana gens quoties hæc tam acerba atque atrocia in ſuum ſanguinem, & ejuſdem Orthodoxæ Fidei cultores perpetrata meminerit, non naves bellicas ſed decus ſuum omne obſoleſcere & interire cogitet, ſi his indigniſsimis modis tractari ſeſe diutiùs æquo animo patiatur; neque ſolùm tanta ac tam opulenta orbis terrarum parte contra jus legéſque gentium communes ab omni libero commercio excludi, verùm etiam pro piratis atque prædonibus haberi, eodemque ſupplicio plecti, ſi illa maria navigare, ſi vel aſpicere vel aſpirare, ſi denique vel cum noſtris ibi Coloniis uſum aliquem aut commercium habere auſa fuerit.

De Inquiſitione Hiſpanicâ ſanguinariâ nihil dicimus, inimicitiarum causâ univerſis Proteſtantibus communi; neque de tot Seminariis Sacerdotum ac Jeſuitarum

rum Anglicorum ſub Hiſpanico patrocinio nidulantium, offenſionis causâ & periculi graviſsimi huic Reipublicæ propriâ; cum propoſitum nobis potiſsimùm ſit controverſiarum in occidentali India noſtrarum cauſas & rationes exponere. Hoc verò æquioribus cunctis & incorruptis rerum æſtimatoribus planum feciſſe confidimus, Neceſsitatem, Exiſtimationem, Juſtitiam ad hanc nuper ſuſceptam Expeditionem nos evocaſſe; Neceſsitatem, bellandum enim neceſſariò eſt ſi per Hiſpanos Pacem colere non licet; Exiſtimationem atque Juſtitiam, neutra enim harum nobis conſtare poterit, ſi injurias tam inhumanas atque intolerandas impunè civibus noſtris, ac popularibus inferri deſides patiemur, quales in occidentali India illatas iis eſſe demonſtravimus.

Et certè parum vident, qui de conſiliis ac rationibus Hiſpanicis conjecturam capiunt ex ea perſonâ ac ſpecie quam in præſentiâ ſuarum rerum inclinatio induere versùs nos in his orbis terræ partibus coegit; quaſi non nunc mens eadem, iidem ſenſus animorum

ac rationum suarum sint, qui tum fuere, cum anno 1588, subjugare hanc totam insulam suumque sub imperium ac ditionem subjungere affectabant, immò quasi ex hoc immutato apud nos rerum statu formaque Reipublicæ non accensa potius eorum in nos odia auctæque suspiciones sint. Quòd si hæc opportunitas, quæ, propter nonnulla quædam quæ nuper acciderunt, ineundi rationem aliquam, quâ ab hoc tam vetere & implacato Religionis nostræ, ac patriæ hoste nobismetipsis (Deo bene juvante) consulere possimus, occasionem fortè suppeditaverit, prætermissa fuerit, fieri poterit ut eas vires facilè sit recuperaturus (animus enim certè illi neque unquam deerit neque deesse poterit) ex quibus intolerandus æquè & formidabilis reddi possit atque antea fuerit. Nos interea si injurias tam immanes in occidentali India sine satisfactione ulla aut vindicta nostris fieri, si excludi nos omnes ab illa tam insigni orbis terrarum parte, si infestum atque inveteratum hostem nostrum (Pace præsertim cum Batavis jam factâ) ingentes illos ab occidentali India the-

thesauros, quibus præsentia incommoda sarcire possit, nostrâ pace domum deportare, resque suas in eum rursus locum restituere patiemur, quò eandem iterum possit deliberationem suscipere, quam anno 1588 habuit, *Utrum fuisset consultius ad recuperandas Belgii fœderatas Provincias initium facere ab Anglia, an ab illis ad subigendam Angliam*, proculdubiò non minus multas immò plures causas excogitabit, cur potius ab Anglia initium sit faciendum: Quem finem ut assequantur ullo tempore ea consilia, si Deus permitteret, expectare meritò possemus ut in nos primos, in omnes deniq; ubicūq; Protestantes exerceatur quod restat occidionis illius immanissimæ, quam fratres nostri in Alpinis vallibus passi nuper sunt: quæ, si illorum miserorum editis querimoniis Orthodoxorum credendum sit, per illos fraterculos, Missionarios quos vocant, Hispanicæ aulæ consiliis intimis informata primitùs ac designata erat.

His omnibus animadversis, speramus quidem fore, ut omnes Angli, præsertim sinceri, privatas adversùs se mutuò inimicitias

citias

citias depofituri fint, fuifque propriis commodis potius renunciaturi quàm propter cupiditatem lucri, haud ita multi, ex mercaturis illis faciendi (quod non nifi inhoneftis conditionibus & quodammodo improbis parari, & aliundè etiam fuppeditari poterit) multorum adolefcentium negotiatorum animas, ex iis conditionibus quibus nunc in Hifpania negotiantur & degunt, fummo periculo, ficuti faciunt, objecturi; vitamque & fortunas multorum in America fratrum Chriftianorum, hujus denique nationis totius agi exiftimationem paffuri; quodque graviffimum eft, oblatas fibi a Deo ad gloriam ipfius, regnumque Chrifti amplificandum opportunitates præclariffimas ex manibus dimiffuri. Quæ quidem non dubitamus quin, remotis quæ veritati penitus infpiciendæ officiunt, expeditionis nuper noftræ in occidentalem Indiam contra Hifpanos fufceptæ potiffimum fuiffe finem appareat.

FINIS.